



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

XVIII. Quod qui violenter occupauerint possessiones beneficiorum, sint excommunicati ipso facto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

SIXTVS TOLETANVM. FRIDERICVS III. IMP.
P. IV. HENRICVS IV. R. CASTELLÆ. 51

^{ANNO CHRISTI} 1473 que testes adfuerint; aut sic desponsatis benedictiones contulerint nuptiales, eo ipso ab officio & beneficio per tres menses sint suspensi; mediata fructuum ipso tempore de beneficio seu beneficiis suis prouenientium fabricis ecclesiarum, mediatae vero expensis sequentis Concilii applicandis.

XVIII.

Quoniam nonnulli terrarum domini, & eorum locatenentes, nec non clerici & laici, aliquique inferioris fortunæ viri, veræ salutis immemores, ne dum suis contenti metis, manus suas extendere ad iniquitatem non formidant, ecclesias, Dei timore neglecto, ut possessiones beneficiorum pro tempore vacantium, seu vacare expectantium, obtineant, indebite occupant, detinent & incastellant, ipsaque possessiones more venalium rerum vendunt, & super ipsis indebite paciscuntur, ex quo plurima scandala, homicidia, & alia damna prodire sentimus, sed & diuina officia & ecclesiastica sacramenta impediuntur. Nos perniciem hanc corruptelam penitus delere volentes, sacro approbante Concilio statuimus, ne de cetero prædictas ecclesias quispiam, tam laici quam clerici, cuiuscumque status, gradus, ordinis seu conditionis existant, incastellare, munire, vel quisquis quaesito colore per se vel per alios, directe vel indirecte occupare, aut possessiones vendere vel emere, aut super ipsis illicite componere vel pacisci, vel de manu & posse incastellantium seu occupantium recipere præsumant. Contrarium vero

Concil. Tom. 34.

G ij

facientes, tam occupatores, incastellatores, venditores, illicitique compositores huiusmodi, etiam prætextu gratiarum expectatiuarum, & quarumlibet collationum, quam qui ipsis ad hoc auxilium, consilium vel fauorem dederint, vt præmittitur, sententiam excommunicationis & quinquaginta florenorum pœnam propter iniuriam ecclesiæ illatam quilibet ipsorum qualibet vice ipso facto incurant. In ecclesiis vero sic occupatis, durante occupatione huiusmodi, clerici sub eadem excommunicationis pœna cessent a diuinis. Acceptantes autem, vt præfertur, delinquentes ea vice iure, si quod habebant ad ipsa beneficia, sint ipso facto priuati. Demum si consilio, auxilio, mandato vel fauore dominorum temporalium quorumcumque, vel eorum loca tenentium, quocumque nomine censeantur, occupatio, incastellatio, munitio, venditio seu compositio huiusmodi fieri contingat, vltra sententias & pœnas iam dictas, terræ ipsorum tamdiu ecclesiastico supponantur interdicto, donec debita præcedente satisfactione, ab occupatione prædicta desistentes, & de pœnis prædictis aliasque satisfacientes, arbitrio prælati relaxentur: dimidietatem vero prædictorum florenorum cameræ nostræ & episcoporum, in quorum dioecesi prædicta fieri contigerit, dimidietatem vero expensis sequentis Concilii applicandam.

XIX.

Ab ecclesia, vbi redemptor noster Iesus, in cuius nomine omne genu flebitur, iugiter pro nobis im-